

LIBER TERTIUS.

DE PROSODIA.

Extremam attingimus Grammaticæ partem, quam, qui latinæ litteraturæ suavitatem degustare studet, præterire nullo modo potest. Duplicem igitur tractatiunculam proponemus; alteram de SYLLABARUM QUANTITATE, alteram de carminum compositione, seu de ARTE METRICA.

PARS PRIMA.

DE SYLLABARUM QUANTITATE.

PROSODIA apud Græcos idem est ac ACCENTUS. El fuit quondam accentuum usus; in præsentiarum autem, ob priscae pronuntiationis ignorantiam, prorsus obsolevit. Hinc, quamvis vulgari scholarum sermone, *prosodia* pro quantitate syllabarum usurpetur, ex quadam cum recentioribus linguis analogia, vel ex pristino typographorum more, qui accentus solebant depingere, ubicumque pronuntiatio figenda esset; monendi tamen sunt tirones, ex accentibus syllabæ quantitatem non posse dignosci; sic v. g. in hac voce: *populus*, licet prior acuatur, non ideo longa est; corripitur enim, vel producitur pro varia significatione, accentu eodem manente. His dictis, documenta quædam prævia, præmittenda erunt.

LECTIO I.

PRÆNOTIONES.

I

De quantitate.

Quantitas est æstimatio syllabæ, quæ TEMPORIBUS, quasi musicis intervallis distinguitur.

TEMPUS hic accipitur pro spatio, quod in syllaba pronuntianda impendebant latini.

Hinc vocalis est *longa*, cum duplici tempore pronuntietur; *brevis*, cum uno tantum tempore; *anceps*, quæ modo brevis, modo longa pronuntiari potest. Ancipites sunt ex se universæ latinæ vocales.

II

De liquescentibus.

Litteram *liquescere* dicimus, quæ, licet leniter pronuntietur, ut nulla tamen habetur, nec in carminibus computatur. Ex vocalibus liquescit *u*: ex consonis *l, r, m, n*: de quibus hæc sint præcepta:

1. Si *u* sequitur post *q*, semper semperque liquescit. Sed post *s* aut *g* vim servat, vimque remittit.

Post *s* liquescit *u*, sequente *a* vel *e*, in masculina terminatione nominis, ut *suavis*; vel in prima persona præsentis indicativi verbi, ut *suesco*. Post *g* semper, modo non sequatur altera *u*. Excipe tamen *arguo* cum nonnullis præteritis secundæ conjugationis, ut *vigui, indigni*, etc.

2. *L* atque *r* mutis percussæ sæpe liquescunt; *M* aut *n*, raro, sed græca in origine tantum.

Priorum exemplum sit verbum *flagro*: vocum græcarum præbebit exemplum Horatius hisce versiculis:

(Saphicus)-Formæ captiva dominum *Tæmessæ*.
(Asclep)-Donatura *cycni*, si libeat, sonum.

III.

DE DIPHTHONGIS.

Latinas diphthongos sex enumerabimus supra, licet *ei* et *yi* ab aliquibus adscribantur græcis. His lex unica sit:

Syllaba, quam scribis diphthongo, longa notetur; Sed *præ* vocali dabitur, variata sequente.

Quam exceptionem tibi monstrabit Virgilius:

Stipitibus duris agitur, sudibusque *præustis*.

His præmissis, fontes perquiramus, ex quibus singularum syllabarum quantitas derivatur. Quinque certissimi traduntur; scilicet, *Positio, Compositio, Derivatio, Incrementum* et *Auctoritas*: quorum præcepta breviter exposita Magister latius clariusque explanabit, exemplisque ex optimis Poëtis, quos præ oculis alumni habeant oportet, confirmabit.

LECTIO II.

DE POSITIONE.

Positionem hic intelligimus locum, quem vocalis occupat, seu respectum ejus ad proxime subsequentes litteras. Hinc *positio*, ut est nota dignoscendæ quantitatis, quadruplex est; videlicet, vocalis ante vocalem, ante consõnam, in fine dictionis, et ante consonam, quæ dictionem terminet.

I

DE VOCALI ANTE VOCALEM.

Vocalem rapuere alia subeunte latini:

Ut *ait, eo, via, evõhe, puer*. Eadem lex esto pro vocali ante diphthongum, ut *dæa*.

EXCEPTIONES.

1. Tenditur *e* quintæ casus, qui existit in *ei*:

Scilicet, genitivi et dativi, ut *aciî, diî*.

Res tamen atque *fides* et *spes* rapiantur ibidem

2. *R* nisi succedat, recipit duo tempora *fio*.

Sic *fiëbam*, contra *fîërem*. Idem dic de compositis, ut *satisfiet*

3. Est *ius* longum genitivi, in versibus anceps.

Unde genitivus pronominum sermone soluto semper longus, ut *illius*; carmine, *illius*.

Corripit *alterius* semper, producit *alius*.

4. *Eheu* longa datur, recte variabitur *Ohe*.

5. Protrahe *Pompei* et *Cai*, similesque vocandi

Id est, vocativi nominum propriorum; nam in cæteris casibus servatur *i* duplex nominativi, ut *Pompeji, Caji* etc.

Sed Græci variant, nec certa lege tenentur.

Attamen in eorum commodum, qui a græcis litteris non abhorrent, en certas leges, quibus dictiones græcolatinæ non carent.

Eta et *Omega* in *E* et *O* perpetuo longas transeunt, ut *Eche-nëis Achelous*.

Epsilon et *Omícron* in *E* et *O* perpetuo breves vertuntur, ut *Athëus, Arsinõe*.

Alpha in *A* plerumque longam, potissimum in derivatis a *laos*, ut *Menelâus*, et a nominibus in *aon*, ut *Lycâon*.

Iota in *I* transit, quam brevem pronuntiabis in nominibus regionum, ut *Arcadîa*; plantarum, ut *colocasia*; virorum, mulierum ac patronimicorum, ut *Lysias, Anastasia, Lesbias*. Item brevia sunt adjectiva in *onius*, ut *Caledonius*; musculea in *ius* et *ios* et neutra in *ion*, ut *Bromius, Encomium*.—Nomina *Artium* aut *excercitationum*, ut *Liturgia, Philosophia, naumachia, rec-tius* brevia pronuntiabis, quamvis ob accentum acutum possint longa pronuntiari, ubi hic usus invaluit. Longa paucissima, quæ lexica docent, ut *Arion, Amphion*.

Ypsilon in *Y* transit brevem, paucis verbis exceptis, Plura in «Prosodia Bononiensi.» Quare præceptum modo explicatum rectius ita verteres.

Græca etsi Latium migrent, ut græca legantur.

II.

DE VOCALI ANTE CONSÕNAM.

Consõna si duplex vocalem aut bina sequatur, Vocalis posítu remanens producta sonabit, Bina sit in verbis quamvis disjuncta doubus.

Triplex casus proponitur: 1. Vocalis ante duplicem, ut *axis, mājor, gāza*.—2. Ante duas consonas eodem verbo inhærentes, ut *sint*.—3. In verbis disjunctis, ut *tūus liber*.

Syllāba si brevis est natura et muta sequatur Cum liquida, semper breviabit sermo solutus; At carmen poterit producere seu breviare.

Ut sit igitur vocalis brevis aut anceps, requiritur: 1. Ut sit brevis natura: 2. Ut utraque consona ad subsequentem syllabam

pertineat, mutaque liquidæ præcedat... Sic *a* in *mâtris* longa, quia *a* natura longa. Sic *o* in *obruo* longa, quia *b* ad *ob*, *r* ad *ruo* pertinet; unde *ob*, *ruo*, *Flâgro* brevis.

III.

DE VOCALI IN FINE DITIONIS. (1)

A.

A finita dato longis: *ilâ postea* deme,
Ejâ quâ et casus omnes: sed protrahe sextum.
Productis græcos casus adjunge vocandi.

Itaque, omnis casus latinus in *a* brevis, ut *eâdem* exceptis ablativis, ut *eâdem*.—Vocativus græcus longus ut *Aneâ*, nisi a nominativis in *es*, deriventur, ut *Orestû* ex *Orestes*.

E.

Corripi E; sed primæ quintæquæ vocabula produc:
Atque *famê*, *cetê*, *tempê*, *fermeque fereque*.

1. Excipiuntur igitur ablativi quintæ declinationis, ut *diê*, *rê*. cum compositis.—Item casus græci qui ad primam latinam pertinent, ut *Calliopê*.

Adde *docê* similemque modum, et monosyllaba præter Encliticas ac syllabicas, necnon (*malê* dempto
Ac *benê*) produces adverbia cuncta secundæ.

2. Secundæ personæ imperativi secundæ conjugationis tantum. Monosyllabæ, ut *me*, *te*, *se* etc. Encliticæ, ut *quê*, *vê*, *nê*. Syllabicæ adjectiones, ut in *suaptê*, *hiscê*, *tutê*: Adverbia denique in *e* ab adjectivis profecta, ut *pulchrê*, *sanctê*.

I.

I produc: brevia *nisi* cum *quasi* græcaque quintæ,
Jure *mihî* variare *tibique*, *sibique* solemus:
Corripies *ibî*, *ubî* melius; dissyllabon et *cui*.

Græca quintæ intellige imparisyllabica ut *Daphnî*; nam cætera producuntur.

(1) Estas reglas de las finales están tomadas de la Gramática del P. Alvarez, modificada por el P. Páris.

O.

O datur ambigiis; græca et monosyllaba longis,
Ergô pro causa, ternus sextusque secundæ,
Atque *adeô*, atque *ideô*, atque adverbia nomine nata;
Sed *citô* corripies *modôque* et *sciô* *neciô* et *imô*
Et *duô*. Sit varium *serô* et conjunctio *verô*.

Tutius et elegantius longi usurpantur omnes casus, et voces verbi in *o* paucis supra memoratis exceptis.

U.

U finita, velut *cornû*, producito semper.

IV.

DE VOCALI IN FINE CONSONA SEQUENTE.

Postrema hæc positionis præcepta sub conditione feruntur, scilicet, modo subsequens dictio a vocali incipiat; aliter modo traditis de gemina consona adversaretur.

B. D. T.

Esto brevis quam *b*, *d*, seu *t* in fine sequantur.
C longum est: varium *hîc* pronomen: corripie *donêc*
Et *nêc*, *fâc* pariter malunt brevare poetæ.

L.

«Corripi *l*: at produc *sâl*, *sôl*, *nîl* multaue hebræa.

Animadvertite tamen *nîl* propter syncopam produci; omnia syncopa *nîhîl* corripit.—Quod attinet ad hebræa, originis quantitatem servant, quæ ex litteris græcis dignoscitur: sic RAPHAEL longa, quia græce scribitur per *eta*.

M.

M vorat ecclipsis: prisci brevare solebant.
Hoc potius cernes in compositis *circûmit*, *circûmago*.

N.

N longum est græcis pariter pariterque latinis.
En brevia, quod format *inîs* breve: græca secundæ
Jungimus et quartum, si sit ultima recti;
Forsîtâm, *în*, *forsân*, *tamên*, *ân*, *vidên* adjice curtis.

Ergo ex latinis excipiuntur nomina in *en*, quæ habent genitivum in *inis*, ut *lumēn*. Item particula *ne* enclitica, sed per apocopen non exprimitur integra, ut *vidēn*, *nostin*, quæ recte variari possunt. Ex græcis finita in *on*, ut *pelion*, cum reliquis ad secundam latinam pertinentibus, et quæ habent accusativum in *in* aut *yn*, ut *Ityn*, *phasin*.

R.

R breve; sed longum est *fār*; *pār*, cum pignore *lār*, *nār*, *Cūr*, *fūr* cum græcis, quibus est genitivus in *eris*:
Addito *iber*: sed *cōr* melius breve, *Celtiber* anceps.

Composita ex *par* sunt *impār*, *suppār*, *compār*, *dispār*. Sint exempla græcorum *aēr*, *æther*.

AS.

AS produc: quartum græcorum tertia casum
Corripit, et rectum, si in *adis* breve patrius exit.

Exceptio pro græcis nominibus, quæ ad tertiam latinam spectant, cum penultima brevi; pro casibus singularis brevis; longa pro plurali, ut *Pallās*, *heroās*.

ES.

ES quoque produces; breviat sed tertia rectum
Cum patrii brevis est crescens penultima. *Pes* hinc
Excipitur, *pariēs*, *ariēs*, *abiēs*que, *Cerēs*que;
Corripi et *ēs* de *sum*, et *penēs* et pluralia græca.

Duplex exceptio latinis, scilicet nominativus singularis tertiæ declinationis, modo sit brevis penultima genitivi, ut *segēs*, *segētis*.
Verbum *es* cum compositis, *prodēs*, *abēs*, etc.

IS aut YS.

Corripies *is* vel *ys*; plurales excipe casus,
Glīs, *sīs*, *vīs* verbum ac nomen, *nolīs*que, *velīs*que,
Audīs cum sociis; quorum et genitivus in *inīs*.
*Entīs*ve aut *itīs* longum, producito, semper.

Sīs et *vīs* producentur cum compositis ac derivatis, ut *quamvīs*, *adsīs*. *Audīs*, id, est, universæ personæ secundæ numeri singularis præsentis indicativi quartæ conjugationis, ut *punīs*.

OS.

Vult *os* produci, *compōs* breviatur et *impōs*.
Osque *ossis*: græcorum et neutra et cuncta secundæ
Addictæ Ausonidum, græcus genitivus et omnis.

Triplex exceptio græcorum: scilicet neutra in *os*, ut *chaōs*; nomina, quæ ad secundam latinam spectant, ut *Ilios*: omnes denique genitivi, ut *Arcadōs*.

US.

US breve penatur: produc monosyllaba; quæque
Casibus increseunt longis, et nomina quartæ,
Excepto recto et quinto, et quibus exit in *untis*
Patrius, et conflata e *pus*, contractaque græca
In recto ac patrio, et venerandum nomen *IESUS*.

Exceptiones latinæ: monosyllabæ, ut *rus*, quorum penultima genitivi est longa; ut *salūs*, *salūtis*; omnis casus quartæ, præter nominativum et vocativum singularis. Græcorum sunt, quæ habent genitivum in *untis*, ut *opūs*; composita ex *pous* *podos*, ut *tripūs*, quæ variari possunt; denique quæ ex græcis diphthongis *ous* et *eus* contrahuntur, quibus addes genitivos a femininis in *o*, ut *Cliūs* a *Clio*.

Hucusque de positione: hæc tamen præcepta non obtinent in extrema syllaba cujuscumque carminis, quibus sit lex.

Ultima sit vati *communis* syllaba versus.

LECTIO III.

DE DERIVATIONE ET COMPOSITIONE.

Derivatio supponit originem seu radicem, ex qua nascitur verbum: sic *amor* ab *amno*: sic *veneram* a *veni*, quæ sunt ejusdem radicis inflexiones. Compositio autem duas orationis partes, ex quibus una efficitur, spectat, ut *malo*, quod ex *magis* et *volo*; *omnipotens* ex *omnis* et *potens* conficitur, De singulis pauca.

I

DE QUANTITATE EX DERIVATIONE.

Derivata sua sumpsere ab origine norman;
Multa tamen se jure suo ductuque tuentur;
Quæ sint illa tamen, vates ususque docebunt.

Quantitas ergo radicis seu originis permanet in derivatis, multis tamen exceptis, quæ frequens vatum lectio docebit. Con-

stans tamen exceptio est in præteritis et supinis dissyllabis, quæ leges sibi proprias sequuntur.

Præteriti sit longa prior cui syllaba duplex:
Sto, do, scindo, fero rapiunt, *bibo, findoque, sisto.*

Quantalibet igitur sit radix præteriti, tamen dissyllabi priorem producunt; sic *vēni v̄di* longa sunt, licet brevem eandem habeant radices *vēnio, v̄deo.*

Quod si præteriti geminetur syllaba prima,
Utraque corripitur, nisi duplex consona tardet

Sic *cēcidi* a *cādo*, *fefelli* a *fallo*. Excipies *cecidi* a *cædo*, *pepēdi* a *pedo*.

Longa supina manent dissyllaba sede priore;
Ast *eo* cum *cīeo, sero* junge, *reor*que *lino*que.
Tum *queo*, et orta *ruo, sino, do* rapuere priores;
Communem *statum* primam servare videtur.

Hinc orta ab *sto* variant; nam supina in *atum* longa, in *itum* brevīa sunt, ut *constatum, præstitum*. Attamen ex derivatis ab *statum*, præter participium in *rus*, cetera corripies, ut *stātus, stātua, stābilis* etc. Supina polysyllaba incrementorum legibus subjicies.

II

DE QUANTITATE EX COMPOSITIONE.

Legem simplicium retinent composita suorum,
Vocalem licet aut diphthongum syllaba mutet;
Juro tamen longum, breve *dejero, pejero* gignit.
Ex hilum, nihilum, a *sopitus* semisopitus;
Agnitus a *nōtus* correptis *agnitus* hærent.
Tumque *dicus, dico*, tum *pronūba* et *innūba nūbo*.
Longum *imbēcillus*; variant *connūbia* vates.

Sit exemplo *colligo*, quod a *lēgo* mutato *e* in *i*; *occido*, quod a *cædo* mutata diphthongo *æ* in *i* Adjectiva orta a *dico*, ut *maledicus. causidicus*, accipiunt ī breve.

Præpositiva aliis si pars connectitur ulla,
Quanta fuit sejuncta prius, conjuncta manebit,
Præposita modo nulla prius data norma resistat.

Præpositiones in compositione eandem servant quantitatem quam extra, modo leges positionis non obstant, ut *amoveo, ōbigo, sēduco, p̄reo, inuro* etc. Præpositio *de*, sequente vocali, solet

variari, nisi in unam syllabam contrahatur, ut *dēinde, dēhisco*. Con autem breviatur, ut *cōortus, cōactus*. Ceteras exceptiones ex his versiculis discas:

In *dīrimo* brevis esto prior, comes esto *dīsertus*;
At *rēser* a *res* protendunt sæpe poētæ.
Corripe *prō* græcum compositum, addesque latinum,
Si verbis *fundus, fugio neptisque, neposque*
Et *festus, fari, fari, fāteor, fanumque* præibit.
Huc *prōfugus* spectat, *prōficiscor* junge *prōtervus*,
Atque *prōtugo* genus *prōperare, prōcella, prōfecto*;
Prōcuro commune datur, *prōpino, profundo*;
Et pariter *prōpagare* atque *prōpello* leguntur.

Præpositionis *prō* græcæ sit exemplum *prōlogus*. Hic etiam offerri solet, ut præpositio, particula negans *a* in græcolatinis, quæ brevis est, ut *āsylum, ādyta*

Hucusque de præpositionibus: nūnc de aliis quibusque componentibus.

A.

A tende extremum compositi in parte priore.

Id est, syllaba ultima prioris componentis, ut *trano, trado, malo*, quæ a *trans* et *no*, a *māgis* et *volo* componuntur.

E.

E brevis effertur claudens extrema priorem
Compositi partem, veluti *stupēfacta, nefandus*.
Nēquidquam produc, *nequando, venefica, nēquam*,
Nequitia et *nēquis, crēdoque, videlicet* adde
Necūbi, nēquaquam. Varium *liquēfio* feratur.

Beneficus autem brevis est.

I.

I quo que corripitur seu græcum sive latinum,
Omnīpotens veluti et *Polydorus*. Protrahe *siquis*,
Vipera, tum *biq̄æ, tibicem, ubique, quadrigæ*
Bimus cum sociis et *ubilibet, ilicet*, atque
Illis *nimirum, Trinacria* jungito; et *idem*
Masculeum, necnon et *ubivis scilicet* adde
Siquando atque *melliphyllon* comitatur *ibidem*.
Produc, *quatriduo* dempto, composita diei.
I quoque non fixum tendes *ubicumque* sit anceps.

I non fixum est, quod declinatione mutatur: sic *qui* in aliis casibus ac terminationibus vertitur in *quem*, *quam* etc. Unde in compositis *quidam*, *quilibet* etc., longum est.

O.

O græcum græce lege; sed protende latinum.
Excipe *quandōquidē* atque *hōdie* cum *bardōcucullo*.

Omega longum, omicron breve semper.

U.

U si compositi pars est prior, effice curtam.

Ut *cornūpeta trojūgēna*.

LECTIO IV.

Incrementum est augmentum syllabarum supra præpositam normam.—Incrementum solum invenitur in nominum atque verborum inflexione.—Communis incrementi lex est, ut prima syllaba crescens, sit ultima normæ. Hinc inferes incrementum esse in priore syllaba verbi, si norma sit monosyllaba: deinde incrementum in extrema syllaba esse nunquam posse. Sic, ut exemplo pateat, si norma sit *vir*, incrementum erit in priore genitivi *vīri*, in prima et secunda in plurari *vīrōrum*. Tot ergo incrementa numerabis, quot syllabæ supra normam increscant.

I

DE INCREMENTO NOMINIS.

Norma pro nominibus erit nominativus singularis, cum de incremento singularis agitur: syllaba crescens post incrementum singularis, erit incrementum pluralis: ex. gr. *sermo* norma singularis; *sermōnes* incrementum et norma pluralis: *sermōnibus*, incrementum singularis et pluralis: Crementum singularis in secunda et tertia tantum reperies, de quibus leges:

1. CREMENTUM SINGULARIS SECUNDÆ DECLINATIONIS.

Incrementa secunda rapit; producit *Ibēri*.

Sic *puer puēri*, *satur satūri*, *vir vīri*

2. CREMENTA SINGULARIS TERTIÆ DECLINATIONIS.

A.

Nomen in *a* crescens, quod flectit tertia, produc.

Ut *pietātis*, *vectigālis*, *titānis*.

Exceptio 1.^a «Mascula correptis *al* et *ar* finita dabuntur.

Ut *lar*, *sal*, *hepar*; junges cum *nectāre*, *bacchar*.
Cum *vade*, *mas* et *anas*, cum natis *parque ju-barque*.

Composita ex *par* supra memoravimus.

2.^a As et *a* græcorum ceu *lampas*, *stemma*, *poēma*.
S quoque finitum cui consona ponitur ante:
Et *dropax*, *anthrax*, *atruax*, cum *smilāce*, *climax*:
His *atācem*, *panācem*; *colācem*, *styrācemque fācemque*.

Atque *abācem*, *corācem*, *philācem*, compositaque nectes.

Scilicet *arabs* et similia, quæ habent consonam ante *s* finalem.
Reliqua nomina raro apud auctores reperies.

E.

E breve sit crescens; patrius tendatur in *ēnis*,
Ver et *Iber*, *locuples*, *hæres*, *mercesque quiesque*,
Lex, *halec*, *halex*, *seps*, *plebs*, *rex* jungito *verbex*.
El peregrina *ēlis* junges: his adjice græca.
Er aut *es* finita; *æther* rapiantur et *æër*.

Triplex ergo exceptio, nempe: latina in *enis*, ut *renis* cum reliquis quæ sequuntur: hæbræa in *ēlis*, ut *Raphaēlis*: græca in *eris*, *ētis* etc., ut *cratēris*, *tapētis*.

I.

I rapitur velut *ordo*, *clamys*: sed patrius *inis*

1.^a Tenditur in græcis; *vivex* producito, *samnis*.

Glis quoque, *dis*, *nesis*, *lis*, *gryps*, quibus adde *quiritem*

Græcorum in *inis* exemplum sit *delphin*, *delphīnis*.

2.^a *Yx* aut *ix* patrium producere gaudet in *icis*;

I breve servarunt *hystrix* cum *fornīce*, *varīx*,
Coxendixque, *cilyx*, *chœnix*, *natrixque*, *calixque*,
Atque *calyx* danaum nectes, *erycemque*, *vicemque*.
El salicis, *filicis*, *laricis*, sit *brebrycis anceps*.

Exceptio tantum est pro his quibus est genitivus in *icis*: nam in *ichis*, ut *onychis*, et in *igis*, ut *labygis* communem legem sequuntur, præter *coccygis* et *mastigis*.

O.

Nomen in *o* crescens produc, ceu *candor*, *orator*.
O parvum in græcis brevia, producito magnum.

In græcis brevia sunt quorum genitivus exit in *onis* per *omicron*, ut *Macedones*: ancipites autem *Sidon*, *Briton*, *Orion*.

1. Græcorum rapiatur *oris*, neutrumque latinum.
Adjectiva gradus medii producito semper.
Oris ab *os* produc: brevibus *memor*, *arbor* adhærent.
Et *lepus*, et *pus* compositum, *bos*, *compos* et *impos*:
Corripi *Cappadocem*, cui *præcoce* jungito nomen.

Composita ex græco *pus pōdos*, ut *tripōdis*. Adde his *Allobroges*.

- 2.^a *S* quoque finitum, si consona forte præibit.

U.

U brevis augetur; sed in *ūris* et *ūdis* et *ūtis*,
Ex *us*; *fur*, *Pollux*, *frux*, *lux*, producta sonabunt.
Intercus, *ligus*, atque *pecus* rapiantur ibidem.

Sint exemplo: *dūcis*, *tellūris*, *palūdis*, *salūtis*.

INCREMENTA PLURALIS.

I, *U*, cernipies; *a*, *e*, *o*, protrahe semper.

Ut *vitibus*, *quercibus*; *musarum*, *diibus*, *templorum*.

II

DE INCREMENTO VERBI.

Norma, qua ad verbi incrementa dimetienda utimur, est secunda persona numeri singularis præsentis indicativi, sive vera illa sit, sive ficta, ut in deponentibus contingit.

A.

Ponitur *a* longum, dum crescit; contrahe primum Crementum verbi *do das* cum pignore primæ.

Ut *circundāmus*, *circundābāmus*.

E.

- E* quoque producent verba crescentia; verum
1. Id rapiunt ante *r* ternæ duo tempora prima.

Scilicet præsens et imperfectum cujuslibet modi tertiæ conjugationis, ut *legērem*, *legere*.

Reris, *rere* dabis longis, *bēris* et *bēre* curtis.

Contrahit interdum *stetērunt*, *dedērunt*que poetæ.

Ut *legēram*, *venērim*, *amavēro*, *docerēris*, *docerēre*, *docebēris*, *docebēre*.

I.

Corripit *i* crescens verbum: sed protrahe quartæ Primum crementum: semper producitur *ivi*.

Sive tertiæ, sive quartæ sit, ut *quesivi*, *audivi*.

Præteriti breviatur *imus* penultima semper.

Ri conjunctivi poterit variare poësis.

Scilicet, *rimus* et *ritis* præteriti et futuri subjunctivi, ut *dixerimus*, *dixeritis*; nam pro utroque exstant exempla. At sermone soluto videtur brevis semper esse proferenda.

Nolito addatur longis, huic junge *velimus*.

Et *simus* pariter; soboles quod tota sequetur.

Ut *possimus*, *adsitis*, ex *vi* præteritis, quibus *v* sit consona, fiat in *tum* perpetuo penultima longa supini, sic a *petivi*, *petitum*, a *quesivi*, *quesitum*.

O ET U.

O crescens produc; *U* vero corripi semper
Tempore finito: produc cum prole supina.

Sic ergo dicemus *possūmus*, *quæsūmus*; at contra *solutum*, unde exeunt *solutus* et *soluturus*.

LECTIO V.

DE VATUM AUCTORITATE.

I

Postrema denique cognoscendæ syllabarum quantitatis ratio, est poetarum auctoritas: quemadmodum enim præcepta

hucusque tradita ex eorum usu et exemplo deprompta atque redacta sunt; sic quæ his præceptis non subjacent, eam quantitatem tribuemus, quam ipsos ex allatis exemplis tribuisse comperiamus. Sic, ut exemplis utar, ex datis præceptis non invenis quanta sit *i* in *vita*, *e* in *gemitus*, *u* in *fugio*. Virgili exemplum statim docebit hoc carmine. *Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras;* e cujus mensura reperis quantitatem. Quamobrem, commune sit præceptum illud Horatii.

Vos exemplaria Vatum.

Nocturna versate manu, versate diurna.

Præterea, thesarus non exiguus in ipsis præceptis carmine concriptis latet: quæ memoriæ mandata non modo generum, prætoritorum et quantitatum leges docent, set etiam ingentem vocum copiam exhibent quarum quantitas ex ipso carmine patefiet.

Demum aliquid subsidii conferent alumni ad rectam vocalium, quæ præceptis non subjacent pronuntiationem, sequentes notulæ,

Quælibet vocalis ante consonam simplicem brevis est sed producentur.

A ANTE { B in *abrum*, at *volutābrum*.
C in *acus*, *aceus*, ut *Eborācum*, *violaceus*,
L in *alis*, *ale*, ut *sodālis*, *mapale*.
M in *ama*, *amen*, ut *acroāma*, *levāmen*.
N in *anus*, *anis*, *anor*, ut *Romānus*, *Nicānor*,
immānis,
R in *aris*, *arus*, ut *consulāris*, *amārus*.
S in *asius*, ut *amāsius*:
T in *atus*, *atim*, ut *equitātus*, *paulātum*.

E ANTE { C in *eca*, ut *chirotheca*
D in *edes*, ut *Ganimēdes*.
L in *ela*, *elis* ut *loquella*, *fidelis*,
M in *emus*, *ema*, ut *Eudemus*, *problēma*.
N in *ena*, *ene*, *enor*, ut *lagēna* *Pirēne*, *Antēnor*.
R in *erus*, *erium* ut *Sincērus*, *mysterium*.
S in *esimus*, *esus* (*esis*, pauca), ut *centēssimus*,
Chersonēsus, *Diacēsis*.
T in *eta*, *etum*, ut *poēta*, *myrtētum*.

I ANTE { C in derivatis a *nike*, *nikos*, ut *Phoenice*, *Aristo-*
nicus, *Thessalonica*.
D in *ido*, ut *cupido*, *formido*.
G in *igo*, ut *caligo*, *castigo*.
L in *ile*, et *ilis*, ut *ovile*, *senilis*, *fabrilis*.
M in *imen*, *imus*, ut *nutrimen*, *Theotimus*.
N in *inas* et *inus*, ut *Arpinas*, *taurinus*. (1)
T in *ites*, *itis*, ut *galactiles*, *gastritis*.

O ANTE { D ab *ode* (græco.) ut *Epōdon*.
G ab *ago* et *pogon* (gr.) ut *anagōge*, *polipōgon*.
L ab *Kolon*, *poleo* (gr.) ut *dicolos* *bibliopola*.
M ab *oma* (gr.) ut *arōma*.
N ab *fone* (gr.) ut *polyphōna*: latina in *onius*, ut
Antōnius.
P ab *anthrōpos* (gr.) ut *philantrōpos*.
R ab *doron* (gr.) ut *Theodōrus*.
S ab *osis* (gr.) ut *metempsychōsis*.

U ANTE { L ab *doulos* et *boulos* (gr.) *Theodūlus*, *Aristo-*
būlus.
R ab *ouros* (gr.) ut *Palinūrus*.
T in *utio*, ut *cecūtio*.

Y ANTE { G ab *pyge* (gr.) ut *melampygos*.
N ab *dyne* (gr.) ut *anodynon*,
S ab *chrysos* (gr.) ut *philochrysus*.
T ab *mythos* (gr.) ut *polymythus*.

Hæc pauca (nam plura offendes,) saltem ad vitandam in legendo vitiosam pronuntiationem, dicta sint: cetera, ut monuimus, assidua probatorum vatum lectio abunde præstabit.

III

DE LICENTIA PŒTICA ET FIGURIS.

Quemadmodum pœtarum auctoritate universa de quantitate præcepta fulciuntur, ita si quando a communi lege discedendum erit, ab ipsis potestas nobis facienda est. Equidem pœtæ, quibus *quidlibet audendi semper fuit æqua potestas*, metri necessitate compulsi, vel ut carmina nativo

(1) Adjectiva in *inus*, si propria animalium referunt, producentur, ut *caninus*, *canimus*; sin vero arborum, metallorum aut gemmarum qualitates, breviantur, ut *cedrimus*, *cuprinus*, *adamantinus*.

lepore non exuerent, circuitionibus adhibitis, syllabis abutebantur, vocales longas corripiendo, breves producendo, consonas adjiciendo, removendo, commutando, quæ omnia fieri *licentia poetica* dicuntur.

Hæc igitur forma (vetus plerumque,) quam verba induunt ob syllabarum commutationes, *Mataplasmus* dicitur sive transformatio. Species vero seu metaplasmī figuræ his versiculis explicantur:

- 1.º Cum rigida metri stringuntur lege poetæ,
Syllaba litterave adjecta, aut sublata, resolvit
Vincla; nam opem primæ sedi bona *Prosthësis* affert,
Et mediæ dat *Epenthësis*, et *Paragoga* supremæ.

PROSTHESIS sive PROTHESIS:—*gnatus* pro *natus*, *teŭli* pro *tuli*.—EPENTHESIS:—*intersiet* pro *intersit*, *cinctulus* pro *cinctus*.
PARAGOGA:—*amittier* pro *amitti*, *dicier* pro *dici*.

- 2.º Ordine consimili resëcans quodcumque redundet,
Præit *Apheresis*, indeque *Syncope*, *Apocopa* demum.

APHERESIS:—*temnit* pro *contemnit*, *ruit*, pro *eruit*. SYNCOPA:—*noris* pro *noveris*, *periculum* pro *periculum*. APOCOPA:—*tuguri* pro *tugurii*, *fletu* pro *fletui*.

- 3.º *Antithesis* dono pro *illi* conscribitur *olli*;
Timbre etiam pro *timber* rara *Metathesis* audit.

Est igitur litteræ vel litterarum commutatio.

- 4.º Syllaba de gemina facta una *Synæresis* esto;
Distrahit in geminam huic adversa *Diverësis* unam.

SYNÆRESIS:—*deest* pro *deest*, *huc* pro *huic*. DIÆRESIS:—*aurai* pro *auræ*, *soluo* pro *solvo*, *iugum* pro *jugum*.

- 5.º *Eclasis* extendet, rapiet sed *Systola* vocem.

ECTASIS:—*reŭligio* pro *religio*, *Italia* pro *Italia*. SYSTOLE:—*fulgère* pro *fulgère*, *tulerunt* pro *tulerunt*.

- 6.º M. *Ecthlipsis*, vocalem haurit *Synalæpha* priorem.

Hæc quidem figuræ ad verborum transmutationem non pertinent; tamen multo quam ceteræ frequentius usui sunt poetis. Est igitur *Synalæphe* elisio vocalis, qua desinit verbum, propter vocalem insequentis dictionis.

Conticuere omnes, *intentique* ora tenebant.

Utraque *e* propter *q* sequentem eliditur. Idem efficitur per *Ecthlipsis*, scilicet cum *m* littera simul cum vocali eliditur propter sequentem vocalem.

Italiam, *Italiam* primus conclamat *Achates*.

Am a sequenti *l* eliditur. Utraque figura in diversis carminibus etiam efficitur; licet rarius. En tibi exempla:

SINALÆPHE—Et spumas miscent argenti vivaque sulphura,
Ideasque pices....

ECHTLIPSIS—Jamque iter emensi, turres ac tecta latinorum
Ardua cernebant juvenes.....

Advertendum demum est interjectiones *O*, *heu*, *hei*, *ah*, per *Synalæphem* non elidi, nec dativum *cui*, cum monosyllabus est.

Appendix.

1. *Sinæresi* affinis est *Crasis*: sic appellatur duarum aut plurium vocalium in unam contractio, ut *cogito* pro *coagito*, *bobus* pro *bobibus*. Difert tamen a *Synæresi* vel diphthongo, quia in his manent integræ vocales, in *Crasi* autem una abjicitur vel includitur in altera. Hinc infer syllabam per *crasim* contractam longam esse, non aliter ac diphthongum.

2. Contra *Synalæpham* est *dialæphe*, id est, omissio seu neglectio *synalæphæ*, qua fit, ut diphthongus vel vocalis longa corripatur vi positionis, manet enim vocalis ante vocalem. En tibi exempla *Dialæphes*:

Clamassent, ut littus *Hylæ*, *Hylæ*, omne sonaret.
Glaucos, et Panopæ, et Inoo Melicertæ. (VIRG.)

3. Illud denique monendum censuimus; si excipias communes casus *synalæphæ* et *ecthlipsis*, verba quæ, facta syncope, usus communis admittit, et usitatiores *synæreses*, reliquis figuris in condendis carminibus uti non licere: eoque tantum spectare earum studium, ut in legendis poetarum operibus inoffenso pede percurras.

